



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

De sana doctrina. tit. 274

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

et crescunt quotidie errores, sicut factum est cum Be-  
gardis & alijs: nam ibi fit contemptus Ecclesiastici or-  
dinis, non datur plena fides Doctoribus predicantibus  
verbum Dei, & inde fit, ut quisque sibi ipse iudex & do-  
ctus in literis sacris vult videri. Sic praedixit Apost. tu-  
rum 2. Timot. vlt. Veniet tempus, quo ad sua desi-  
deria coaceruabunt sibi magistros, &c.

Tertio, illa multiplicatio concionum quotidie pa-  
rum efficit fructus, ut de illis, qui nimis saepe, subin-  
de & varia fercula vno prandio deuorant: & planta,  
que sepius, quam necesse est, irrigatur, aut de illis, qui  
saepius quam opus sit, alios mori vident, adeo ut non  
curent propter consuetudinem, &c. Ideo fit ut colo-  
ni & simplices plerumque tenacius retineant simplici-  
ter audita, quam illi, qui quotidianis sermonibus sa-  
turi sunt, & iuxta illud 2. ad Tim. 3. semper discentes,  
& nunquam ad veritatem peruenientes. Ideo in Ita-  
lia tamen in quadagesima, Aduentu &c. fiunt sermo-  
nes. Timendum tamen est, quod negligentia conciona-  
torum plures scandalizentur, quam emendentur.  
At quid dicet illis Christus Matt. 7. quando dicent:  
Domine, in nomine tuo prophetauimus, virtutes,  
id est, miracula fecimus, daemones eiecimus, &c. in-  
quier: Discedite a me operarij iniquitatis, &c. Non  
omnis qui dicit mihi Domine Domine, introibit in  
regnum &c.

## DE SANNA DOCTRINA.

## TITVLVS CCLXXIII.



Postolus ad Tit. 1. iubet talem ordinari  
Episcopum, qui potens sit exhortari  
in sana doctrina. & 2. Tim. vlt. dicit: Ve-  
niet tempus, cum sanam doctrinam non  
sustinebunt, &c. Sana igitur doctrina  
est, que non est infirma, id est, reprehensibilis, sed sic fir-  
ma & sana, quam etiam inimicus non potest arguere  
aut cor-

aut convincere de falsitate, sicut est sanctum Euangeli-  
um quod omnes serpentes Magorum deorat, Exo.  
7. sicut serpens Aaronis, id est omnes Philosophorum  
& Iudeorum doctrinas. Hoc solum sanctificat creden-  
tes, Ioan. 17. Sermo enim tuus veritas est, & Psal. 118.  
Lucerna pedibus meis &c.

Secundo, fabulae autem sunt omnes doctrinae ex  
hominis ingenio fabricatae, ut Poetarum gentili-  
um, hominum carnalium doctrinae, sicut docet ad Ephes.  
5. Fornicatio, & omnis immunditia aut avaritia nec  
nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitu-  
do, stultiloquium, scurrilitas, quae ad rem non perti-  
net &c. Sic sunt fabulae superstitionum & nugarum,  
& non approbatarum legendarum de sanctis & omni-  
um illarum rerum quae non habent fundamentum  
scripturae vel Ecclesiae, sicut dicit Gerson de quibus-  
dam precatiunculis, indulgentijs, prodigijs, id est,  
quod hic vel ille efficacia eius operis non moritur  
subito, non depauperabitur, inimici nihil poterunt  
&c. & si quis illo die audit Missam, non erit caecus  
&c. Est enim contumax humana natura, quae post-  
quam destituta est originalis iustitiae statu, cupidi-  
us fertur ad illa, quae sunt adinventionis suae, quam  
quae sunt iussionis divinae. Sic est vnus superbia gra-  
dus iuxta Bernhardum in religiosis, dum plus gau-  
dent in abstinentia & oratione priuata, quam in re-  
gulari disciplina. Sic de imaginibus pulchrioribus,  
de ieiunio panis & aquae ob commodum temporale,  
ne infirmentur, ne domus comburatur, ut dice-  
scant, longè viuât, &c. Aliud est si ad honorem Dei  
fiant, ut nobis quoque spiritualia dona distribuat, si-  
cut huic sancto. Solidam igitur ac sanam doctrinam  
debemus amplecti.

Tertio, similiter fit saepe in traditionibus, quod po-  
tius sequimur nostra inuenta, quam Dei praecepta, gluti-  
entes camelum & colantes culicem, Mat. 23. de mino-  
ribus

ribus facimus magnam conscientiam & maiora relinquimus. Ideò Gerson ait: ò pium verbum, certum verbum, & omni acceptatione dignissimum, Acto. 15. Quid tentatis Deum, imponentes iugum super cervicem discipulorum; quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluari, quemadmodum & illi, sicut dicit Dominus etiam contra illos superstitiosos, Ierem. 16. Seruietis dijs alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. Christus autem qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1. parum curatur, &c.

Apud fidelem igitur plus autoritatis habere debet Paulus, quam Tullius: Ioannes, quam Aristoteles: Euangelium, quam humanum commentum, sicut etiam dicit Augustinus de baptismo contra Donatistas, libr. 2. cap. 2. quòd literæ canonicæ solùm hunc habent honorem, vt de illis dubitare non liceat: Non autem sic est dicendum de alijs hominum doctrinis.

## SENEX SINE RELIGIONE.

## TITVLVS CCLXXV.

**M**ALVM signum est in senè, si sine religione inueniatur. Plus enim omnibus senes religioni operam dare decet, quos presertim sæculi florida ætas trãsa acta deseruit. Sicut enim in lignis ipsa arbor reprobã apparet, quæ post flores, non etiam fructus optimos cultori suo exhibet. Sic & in hominibus ipse probus non est, sed reprobus, quem flos iuventutis deseruit, & tamen in senectute sua bonorũ operum maturos fructus proferre parumpendit, Mat. 3. & 7. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, & 1. Corin. 13 inquit Apostolus: Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus;

QQQ  
lus;